

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**D. Lavrentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis  
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae  
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam  
Brevissime Complectens**

**Heister, Lorenz**

**[Norimbergae, [MDCCXXXII.]**

**VD18 90513150**

**[Einleitung.]**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9958**

## EXPLICATIO TABVLARVM ET FIGVRARVM.

**P**lacuit compendio huic anatomico figuræ aliquot addere observationum anatomicarum novarum, quæ in aliis Anatomicis, si duas forte excipias, nondum occurunt; ceteræ vero ex nostris sunt observationibus.

### EXPLICATIO TABVLAE PRIMÆ.

Fig. I. Demonstrat *Malleum ossiculorum auditus*, perspicuitatis caussa naturali paullo maiorem, ex homine, cum apophysi sive *processu*, ut vulgo vocant, *Rauiano*.

a, Est capitulum mallei.

b, Eius manubrium.

c, Apophysis minor.

d, *Apophysis Folii*, vulgo dicta *Rauiana*, sive longissima.

Idem malleus mox adiungitur, microscopio delineatus, ut omnia clarius in conspectum prodeant: ubi literæ maiusculæ A B C D idem indicant, quod in figura minori.

Notandum vero hic esse censemus, hanc *apophysin*, sive *processum Rauianum*, nobis ita saepe apparuisse, ac si verum os non esset. Nam flexilis & elasticus saepe est, quemadmodum & alii notarunt, ut spinæ piscium sunt tenuiores; ita, ut, si in apice aliquo modo prematur, paullulum flectatur & cedat; sin vero a pressione remittatur, apexque relaxetur, apophysis hæc in pristinum statum se restituat: qualem flexi-

